



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniæ, 1656

§. 99. Et ait illis dormite iam & requiescite. v. 41.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45533

dam & asperam vitam & quidquid demum in humana natura operatus est & cruciatus omnes acerbissimos quos in passione sua perpessus est, vna cum omni laude spirituum supernorum & meritis sanctorum omnium in sacrificium dignum ad æternum honorem & gloriam tuam pro universis peccatis meis quibus vnquam te offendi, & virtutibus quas exercere neglexi. Tu autem pie Iesupone inter te iudiciumq; tuum & inter animam meam mortem tuam & passionem tuam, & esto mihi Iesus.

§. 99. *Et ait illis dormite iam & requiescite. v. 41.*

Quia cum necessitas postulat indulgendum est aliquid corpori, ideo Dominus, cum venisset tertio eos dormire aliquantulum iussit, *dormite iam & requiescite.* & illis dormientibus, ipse super eos vigil astabat, aspiciens cælum cum suspirijs, loco omnium qui pascunt animas. Vere tunc à loco in quo dormiebant Apostoli, melior, quam in loco, in quo dormiebat Iacob, erecta erat scala, pertingens ab ipsis usque in cælum, imo usque ad coelestis, super qua non angeli ascendebant & descendebant tantum, sed etiam gratiæ Dei.

Non est sapientia super terram, Domine, quæ comparari possit cum sapientia tua. Ecce tu assumens pastorum & Episcoporum personam, stas vigil excubitor super Apostolos tuos & mediator es inter eos & Patrem. Certe præclarum das Sacerdotibus tuis exemplum, quomodo debeant esse mediatores inter te & populum. Benedico te, tu enim laboras, & tuis das requiem ouibus; tu oras, vt illi dormiant. nescio Domine facis explicare aut ponderare suauitatem bonitatis, qua plena est domus tua.

§. 100. *Sufficit, venit hora. v. 41.*

Cum ergo aliquantulum cum eis quieuisset, vel excubias egisset Dominus, & aduentum Iudæ proditoris cum cohorte militum appropinquantis sentiret oculis corporeis, excitauit discipulos dicens; *sufficit, iam surgendum, iam vigilandum, iam standum, vt viri fortes, iam pugnandum est milites, hora est arma capiendi. ad arma.* Ecce appropinquat qui me tradet, ecce hostis præ foribus in horro paratus in prælium, fixit pedem rupit portas, sepesque perfregit, ne non fauceat nox, videntur facies & laternæ & lampades ardentes, armati viri, cataphracti à capite ad pedes, ferrei thoraces, gladij, pugiones, hastæ, bipennes, hastæ, mallei, sagittæ, arcus & *hora hac mea est, qua voluntariè tradar in manus peccatorum.* Saluate amici, & valete, donec resurgam à mortuis.

Dixisti Domine, *sufficit dormiisse, docendo nos modum & rationem in omnibus rebus esse sectandam, nec semper brutos naturæ nostræ dicitur*